



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XIV. De occultis Dei iudiciis considerandis, ne extollamur in bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XIII.

*De occultis Dei iudiciis consideran-  
dis, ne extollamur in bonis.*

**I**NTONAS super me iudicia tua Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expauescit anima mea valdè. Sto attonitus, & considero; quia cæli non sunt mundi, in conspectu tuo. Si in angelis reperisti prauitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellæ de cælo, & ego puluis quid presumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima: & qui comedebant panem Angelorum, vidi siliquis delectari porcorum.

*Iob 15.  
Iob 4.  
Apo. 8.  
Psf. 77.*

2 Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam Domine subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare defistas. Nulla iuuat fortitudo, si conseruare desinas. Nulla secunda castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilantia. Nam relictus, mergimur & perimus: visitati verò, erigimur & viuimus. Instabiles quippe  
su-



sumus, sed per te confirmamur: tepescimus, sed à te accendimur.

3 O quàm humiliter, & abiectè mihi de meipso sentiendum est: quàm nihili pendendum, si quid boni videar habere! O quàm profundè submittere me debeo, sub abyssalibus iudiciis tuis Domine: vbi nihil aliud me esse inuenio, quàm nihil & nihil! O pondus immensum! ô pelagus intransnabile: vbi nihil de me reperio, quàm in toto nihil! Vbi est ergo latebra gloriæ? vbi confidentia de virtute concepta? Absorpta est omnis gloriatio vana, in profunditate iudiciorum tuorum super me.

*Ecclesi.*  
*23. &*  
*Isa. 29.*

4 Quid est omnis caro, in conspectu tuo? Numquid gloriabitur lutum, cōtra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum: Veritas autem Domini manet in æternum.

*Pf. 115*

CAP.